DEO OPTIMO MAXIMO

VIRGINI DEIPARÆ ET SANCTO LVCÆ ORTHODOXORVM MEDICORVM PATRONO.

QVÆSTIO MEDICA

QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS DISCVTIENDA

IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XVI. DECEMBRIS HORA IX. MATVTINA

M. IACOBO BAILLIF DOCTORE MEDICO MODERATORE.

18.

An ſoporari malum?

DESCENDAT in ſeipſum, qui naturæ ſuæ, eximias dotes, ornamenta egregia, dignitatem volet ſcrutari. Ratio, intelligentia, memoria, pleraque alia, microcoſmum diuinitatis eſſe conſortem, originemque à ſummo rerum opifice accepiſſe declarant: ſpiraculum vitæ ſi quidem ab eo accepit, adque eius imaginem fuit efformatus: non ob figuram formamve, ſed ob animam rationalem ſubſtantiâ incorpoream, ab omni mortali contagione immunem, ſicut interitus: quæ ex diuinæ mentis archetypo, in fœtum legitime conformatum tranſmititur, omnis omnino æqualis perfectionis, quamdum florentem ætatis ſtatum eſt aſſequuta: licet aliquando ſuas ritè non obeat functiones, nullomodo in ſeipſa labefactatur. Vitium in organa, humores, vaporeſve eſt refundendum, quæ omnia concretionem materiæ terrenamque compagem, mortalem, caducam redolent. Vis eius æqualiter per omnes corporis partes eſt diffuſa: in cerebro tamen lucet ſplendidius partium omnium hominis præſtantiſſima, throno ſapientiæ, vinculi corporis cum anima digniſſimo opifice: cuius temperies ſi violata ſit, aut inepta ſint organa vel impedita, actionum ſplendor obſcuratur; quaſi nube denſa radij ſolis.

SOL orbem noſtrum, lumine continuo non illuſtrat, licet non quieſcat; ſic anima noſtro in corpore feriari aliquando videtur, vel potius quieſcere & ſuas ad tempus actiones intermittere, non eas tamen quæ à natura dicuntur emanare: vt pote quæ voluntatis imperium nequaquam ſequantur, temporeque ſomni validiores reddantur, calore ad interiora retracto. Primum ſentiendi inſtrumentum laborum & vigiliarum continua & aſſidua frangitur contentione, ſomno reficitur: ſiccatum vigilijs, humectatur caloris exhauſti reparatione, diſſipatique ſpiritus animalis noua elaboratione. Somnus gelidæ mortis imago ita animantibus eſt neceſſarius, vt ſine eo nequeat vita ſeruari; vtpotè qui ſit vigoris ſenſuum quædam intermiſſio, ex caloris innati ad partes internas motione facta, cerebro frigore condenſato, neruorum radicibus obſtructis repletiſque, qui ſpiritui vitali, calorique ex inferioribus influere ſolitis viam denegant, ſpiritumque animalem ad organa ſenſuum deferri prohibent; vnde denegatis ſpiritibus membra omnia concidunt, ſenſuſque exteriores omnino feriantur. Poſt tamen omnia redeunt vegetiora; virtus enim animalis fatigata reficitur; naturaliſque valentior redditur, calorem intus attrahendo ad cibos humoreſve coquendos, nouum viſceribus robur conciliando.

VAPOR benignus ex alimenti ſuauitate natus, eum conciliat, dum ventriculus alimentis ab ore per œſophagum tranſmiſſis, coctioni incumbit patiturque ſuum relaxari pylorum, vt hepar ab inteſtinis, per lacteas attrahat venas aut per meſaraicas, obſtructis illis, inchoatam ciborum elaborationem adiuuet; viſcus illud princeps in abdomine, conſilio deſtitutum non eſt, ceu potius natura, vt enim ruboris characterem impreſſit; partem per ramos portæ ad primæ regionis partes nutriendas ablegat: alia vero per cauam ad cor aſcendit per medium eius ſeptum tranſitura; licet aliquid ad pulmonum nutritionem è dextro ſinu per venam arterioſam euomat: (in morboſis ſolum affectibus ſanguis per pulmones circulatur:) vt ſanguis è ſiniſtro ad aortam appulit ventriculo, perque eius propagines modo laudabilis ſit, cerebrum blando halitu replens ſomnum conciliat. Si moderatus ſit nihil dono diuûm gratius, modus in eo ſeruandus: vt enim immodicis deſiccatur attenuaturque corpus vigilijs: ita eo longiori humectatur refrigeraturque: oppletoque vaporibus capite, catharri per vniuerſam microcoſmi compagem excurrunt. Apoplexia cum ſtertore breui iugulat. Ingratam nobis lucis vſuram paralyſis, motus ſenſuſque priuatione relinquit: ſicut rerum præteritarum obliuio, omnem memoriæ ſplendorem, ſpecierum ipſi impreſſarum abſentia aufferens. Cum maxima morborum pars à retentis naſcatur, exceptoque ſudore omnes ſiſtat excretiones ſomnus, nimiumque excerni patiatur ab eius exceſſu morborum ilias. Longior tamen pueris ob fluorem magnamque diſſipationem à calore cuteque laxa & molli prodeſt: bilis acrimoniam in bilioſis vigilibuſque humectando temperat, graciles attenuatoſque reficit. Obæſos pituitoſoſque in humidam frigidamque trahit intemperiem. Niſi conſuetus aut cogitatione infirma aut puer ſenexue, ſomnum fuge meridianum.

SIC tulit mortalis ſors, vt quæ excellentia ſunt, ſi modum excedant nihil deterius ſit: res quæ ab vna manans cauſa ſalutaris ſit, ab alia planè peſtifera: ſic ſomnus naturæ viribus ſuſceptus, ſanitatem conſeruat, morbos ſymptomataque curat. Qui vero ab effœta virtute, oppreſſione magna, contumaci tum ventriculorum, ductuumque cerebri obſtructione oritur. Omnem necando homini tradit operam, communem ſenſum non modo ligant, verum omnes fere principes facultates arctiori quam pro naturæ lege ſomno ſiue febris experte ſiue cum ea coniuncto ſoporoſi affectus. Teſtis eſt lethargus perpetuo ægrum in ſomnum trahens, obliuioſum ſtupidum delirantemque à frigida humida intemperie neruos madefaciente, tandemque mora putrente, vnde febris lenta oritur: quæ parotide vel phrenitide ſanatur. Mortem propinquam denunciant oculi caui, dentium ſtridor, lingua areſcens, liuor vnguium, ſicut circa vultum ſudor frigidus & glutinoſus, palpebræ conniuentes, reſpiratio rara, pulſus deficiens, labrum inferius palpitans, excrementorum præter voluntatem humidorum excretio. Arctiſſimus omnium ſoporum carus eſt, ſenſum, motumque omnem intercipiens ſeruata libertate ſpirandi, qua facile ab apoplexia diſcernitur, ſicut à lethargo, materiæ putredine, delirij abſentia, febris vacuitate. Nullis æger excitatur ſtimulis nec vocem edit, compunctuſque oculos non aperit. Soporari hîc vbique malum ſiue ab ictu capitis aut poſt febrem; excedit enim modum, ſummum cerebri frigus cum oppreſſione arguit, materiam fouet & auget. Mutus de repente à vino moritur, niſi exorta febre, aut crapula ſoluta vocem recuperet.

RARVM ſane & inſolens cerebri ſymptoma catoche eſt, à frigida ſicca intemperie, à caloris natiui extinctione orta, quæ cauſam firmiter fixam habet; nec leuiter preſſam; quæque cerebrum humido defraudans genio facit attonitos ſtupere eodemque quo deprehenſi ſunt ſtatu manere palpebraſque ſemel apertas claudere prohibet licet oculis lux non admittatur, affecto cerebro neruorum principium in mali contagionem trahitur, vnde conuulſio morſque breui ſuccedit. Vt catalepſis natura in tenſione verſatur, ita in reſolutione, comatis, eſtque phantaſiæ infirmæ ſymptoma, vt carus abolitæ: pituita ſimplex & incorrupta extra naturæ leges aucta & in cerebro cumulata ipſiuſque exolutio & perfrigeratio febrilis ardoris conſectariæ, ſimplex coma efficiunt, oculis ſemper conniuentibus. Mixtum efficit mixta bilis pituitæque pariter in perniciem ægri concertantium cacochymia, quarum mixtione, monſtrum naſcitur biceps phrenitidis & lethargi; ne vel minima ſalutis ſpes affulget, ſi typhomania febribus ſuccedat, ob ſummam virium infirmitatem ab exhauſto partium genio: nec maior apparet ab initio, ſudatiuncula exudante cum permoleſta vrina, palpo, tremore, dolore, iactatione, & alui prærubra proluuie. Sopor omnis à perenni humoris morbifici affluxu, aut à fonte inexhauſto frigidique humoris abundantia neruorum vim exoluente prægrandique intemperie ſiue primaria ſiue conſectaria, primum ſenſorium lædente genitus ſiue morbis ſuperueniat ſiue inter initia appareat, ſemper vitium arguit malaſque ægri res teſtatur.

Ergo ſoporari malum.

Proponebat Andegaui, PETRVS IAMET Andegauenſis, Anno R. S. H. M. DC. LV.

ANDEGAVI, Apud PETRVM AVRIL, Regis & Academiæ Typographum: Et IOANNEM LE BOVLLENGER, Typographum & Bibliopolam.